

Congregatio- nem Monachorum instituit.

ampliare cultum, Congregationem Meniti- cam sub B. Benedicti Regula, superadditis ei statutis arctissimis, ordinavit, ubi fratrum suorum Deo famulantium adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus CHRISTUS JESUS ab ipsis jugiter laudaretur, vixit cum eis cunctis florens virtutibus, ac eximia sanctitatis operibus informans & reformans universos.

Summus Pontifex eligitur.

§. 11. Verum quia non erat expediens, quod tanta sanctitatis odor in solo uno Mundi angulo sentiretur, sed potius quod ad edificationem cunctorum fidelium, circumquaque per mundum promptius spargeretur, dispensatione provida ad summum Pontificatus apicem est proventus. In quo totum idem ipse manens, qui fuerat sub præcelsa dignitatis habitu, nec vitam Eremiticam, quantum fas servare fuit, nec animum derelinquens, novit inter epulas esse sibi summe austerus & abstinens, inter amplas divitias summe pauper.

Ab eodem se abdicat.

§. 12. At vero hic vir habens simplicitatis miræ, & in spectantibus ad regimen universalis Ecclesiæ inexpertus, utpote qui a teneris annis usque ad senium elongatus a Mundo, cor suum mundanis rebus non accommodaverat sed divinis, reflectens prudenter suæ considerationis intimæ oculum ad seipsum, honori Papatus cessit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta posset ex suo regimine, quodcumque periculum universali Ecclesiæ provenire, & ut turbativa Marthæ sollicitudine declinata, vacare posset secus pedes JESU contemplationis ocio cum Maria.

§. 13. Post hæc itaque divinæ vacans contemplationi, assidue usque ad ejus obitum, quo beata illa anima carnis evasit ergastulum, cœlos petens, sanctissimam vitam duxit.

Multis elaret miraculis.

§. 14. Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfunderat tot & tantis carismatibus gratiarum, clarus Mundo colendusq. divinæ virtutis testimoniis appareret, non defuere divina miracula in quolibet statu suo, ante Papatum videlicet, in Papatu, ac etiam post Papatum, in ejus vita pariter & post mortem, voce clamorosa proloquuntia ipsius imitandam cunctis eximiam sanctitatem. Ut autem hoc Jesu Christi fidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula ipsius meritis de quampuribus exprimere possemus, quæ accidisse veraciter certis testimoniis sunt probata.

Cæcæ mulieri restitutus visus.

§. 15. Mulier quædam ex infirmitate gravi sic cæca omnino effecta, ut juvari non posset per quæcumque adhibita remedia medicinæ, portata ad locum Eremiti ubi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum se signasset quadam parva cruce lignea, quam idem frater Petrus per servum suum ei transmiserat, & eandem ad oculos applicasset, perfecte statim visibiliter est curata.

Amens sanatus.

§. 16. Quidam factus ita furiosus & amens, ut ne seipsum aut alios offenderet, funibus & catenis ferreis ligaretur, adductus ad dicti fratris præsentiam, cum comedisset, de pane sibi per ipsum exhibitio, sic est curatus perfecte, ut de dicta infirmitate nihil ulterius umquam senserit.

§. 17. Puella etiam quædam, quæ fistulam tam gravem habebat in pede cum aper- turis pluribus, ut de perditione pedis a medicis timeretur, portata ad ipsum, & facto per eum super plagam ter signo sanctæ Crucis, statim sanata est, ita ut post dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ vestigium, vel cicatrix.

Puella fistulam.

§. 18. Quædam mulier, quæ sic vehementer gravabatur infirmitate ethica, ut de ejus vita desperaretur a medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adjutorio de loco posset se movere, cum quiesceret per horæ spacium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miserat frater Petrus, statim sanata surrexit.

Ethicam.

§. 19. Quidam etiam strophulam grossam ad quantitatem ovi gallinæ in manu per quinque annos habuerat; benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmitatis locum, fuit, post morulam modicam, sanatus totaliter & perfecte.

Homini cuidam strophulam.

§. 20. Cum etiam summi Pontificatus culmine præmineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea & inflata, quæ etiam operari quicquam non poterat, nec absque gravamine notabili ambulare, delata ad locum, per quem erat frater Petrus tunc Summus Pontifex transiturus, & benedicta ab ipso, restituta est illico pristina sanitati.

Croceam, & inflatam mulierem.

§. 21. Alia quædam mulier sic contracta in omnibus membris suis, ut nec ambulare posset, nec mutari de loco ad locum, nisi ab alio portaretur, posita secus viam, per quam ipse frater Petrus tunc transitum faciebat, & data super ipsam Crucis benedictione, per ipsum, fuit perfecte continuo liberata.

Aliam contractam.

§. 22. Postquam renunciavit Papatu, cuidam, qui ex toto pene visum perdidit, cum se ipsi fratri Petro præsentasset, superducta quadam parva Cruce lignea oculis patientis restituit integrè statim visum.

Pene cæcum sanatum.

§. 23. Denique ut in ejus obitu suæ Sanctitatis lucidæ divinum testimonium non deesset, de ipsa Cruce, quam summe dilexit, & lumine, fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suæ apparuit Crux parva & fulgida in medio ostii cameræ in qua erat, quæ ad modum vertiginis se volvens, continuo permansit divinitus suspensa in aere, quoadusque corpus ejus de ipsa camera est translatum.

In ejus obitu Crux apparuit.

§. 24. Sed & post obitum viri sancti quidam sic est percussus paralypti, ut nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo: ductus ad locum ubi frater Petrus poenitentiam facere consuevit, & catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebatur dum viveret, apposita patientis collo & capiti, & cæteris membris ejus, fuit statim penitus liberatus.

Paralyticus.

§. 25. Quidam qui vires ambulandi ac standi, usumque manus perdidit, ductus ad Ecclesiam, ubi dicti Sancti corpus jacet reconditum, & pernoctans cum animi devotione in eadem, sensit se mane totaliter a dicta infirmitate liberatum.

Viribus destitutus sanatus.

§. 26. His

§. 26. His & aliis quam plurimis miraculis gloriosis mirificavit Dominus sanctum suum, & clarum mundo reddidit, ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, & suaves depromat melodias. Nam hic Christi confessor eximia sua proles, inter beatorum agmina stellam possidet matutinam, & super Christi mensam cum Angelis ore pleno melle dulcius abditum manna gustat. Jubilare non quiescat plebs catholica: nam accensus calculus, quem ex ejus medio ille intendens Seraphyn tulit forcipe de altari in ea, quæ sursum est Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cælorum ambulat, est conjunctus. Hunc apud Deum advocatum habet, quem fons effluxus perennis jucunde inebriat, abunde faciat lignum vite. Lucundetur insuper religio per ipsum instituta, & in laudes Altissimi organa vocis laxet. Nam hic ejus protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum principibus, folium gloriæ sempiternæ semper clarum tenet.

§. 27. Verum quia dignum est, ut, quem in cælo sursum Deus glorificat: hic inferius ad suum patrocinium Mundus colat, nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum sancti hujus, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam & firmam certitudinem obtinentes requisisti: Insuper Prelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium supplicatione humiliter & devota, de fratrum nostrorum consilio & assensu, consili de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, ipsum Sanctorum Confessorum cathologo duximus adscribendum.

Sanctorum factus auctoritate.

Festus ejus dies celebrandus.

§. 28. Ideoque universitatem vestram monemus, & hortamur attente per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kal. Junii festum ejusdem Confessoris devote, ac solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis celebrari, ut ejus pia intercessione, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Amen.

JOANNES XXI. dict. XXII.

P A P A CXCVI.

AN. DOM. MCCCXVI.



Jacobus de Ossa, seu de Eusa, patre Arnaldo, Caturcensis, antea Episcopus Foro-Julensis in Provincia, mox Avenionensis, postmodum S. R. E. Cardinalis Portuensis, electus est Lugduni in Summum Pontificem die 7. Aug. anno 1316. & ibidem coronatus est die 5. Septembris anni ejusdem, & Joannes XXII. appellatus. Sedit in Pontificatu annos XVIII. Mefs. vere IV. (a) imperantibus in Oriente duobus Andronicis. Obiit Avenione die 4. Septembris 1334. & sepultus est in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ de Donis. Vacavit Sedes dies XV. (b)

Schisma Trigesimum secundum.

Die duodecima Maii 1328. Ludovicus Bavarus a Joanne Papa anathematizatus Petro Raynalducii de Vico Corbario, natione Aprutino, Ordi-

(a) A die Coronationis numerandos, a qua die annos suos orsum esse Joannem, discrete ostendit Pagina in ejus vita §. 87. (b) Exclusis extremis.

Ordinis Minorum, Romana plebe confusis vocibus approbante, Romae in Area Vaticana purpuram propriis manibus iniecit, eum Antipapam indito Nicolai V. nomine eligens contra Joannem legitimum Pontificem. Ille vero eadem die in Basilica S. Petri a Jacobo Castellano Episcopo, aliisque Schismaticis Episcopis consecratus est, seu potius execratus, & a Ludovico coronatus. Postquam suadente Ludovico Joannem condemnarat, depositumque juxta Ludovici sententiam declaraverat, ejusque imaginem tradiderat flammis, errore cognito, culpam Pisis detestatus a Legatis Joannis Papae absolvitur die 25. Julii, 1330. biennio post occupatam Sedem. Prolixiorem abjuracionem Avenione emisit coram Pontifice & Cardinalibus, & Ludovicum detestatus est. Tandem exposita fide sua, & petita venia a Pontifice absolvitur atque honeste habitus data tamen custodia, ne in errorem relaberetur. Obiit Avenione in Palatio, ubi morabatur Joannes PP., mense Septembri anno 1333. & sepultus est in Ecclesia Fratrum Minorum.

I.

Quod, vacante Romano Imperio, nullus assumat nomen Vicarii ejusdem, cum id tantummodo ad Romanum pertineat Pontificem.

Ex Regest. Vatic. Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SI Fratrum & Coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet juramentum illibata servari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, & ad id libenter nostrae sollicitudinis studium adhibemus; multo fortius equidem pro nostris, & Romanae Ecclesiae, Sponsae nostrae, juribus & honoribus conservandis, ex injuncto Nobis officii debito, Apostolicae provisionis partes tenemur impendere: ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant, aut detrimentum cujusvis derogationis incurrant.

§. 1. Sane in nostram & Fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante, notitiam, quod, licet de iure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussa servatum, quod,

vacante Imperio, sicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad saecularem Judicem nequeat haberi recursus, ad Summum Pontificem, cui in persona Beati Petri terreni simul & caelestis Imperii jura Deus ipse commisit, Imperii praedicta jurisdictione, regimen & dispositio devolvuntur, & ea, tempore durante ipsius vacationis Imperii, per se vel alium seu alios exercuisse noscitur in Imperio memorato; Nonnulli tamen in Italiae partibus potestatis & dignitatis fastigium illicite ambiunt, in nostrum, & Sanctae Romanae Matris Ecclesiae, quantum in eis est, praedictum evidens, ac diminutionem honoris & juris, Vicariatus seu alterius cujuscumque nominis officium, quod, ipso Imperatore vivente, ex ipsius commissione gerebant in certis Terris, territoriis, sive locis, post decessum ipsius absque nostra, vel Apostolicae Sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi; & nonnulli etiam, de novo assumere, quod non gesserant, aut gestum antea, posteaque dimissum, resumere temerariis ausibus praesumpserunt, quo, vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub ejus vel eorum colore multa facere & fecisse noscuntur, quae in nostram & Ecclesiae praedictae injuriam aperte redundant; non abhorrentes per id variis involvi criminibus, nec divinae Majestatis formidantes offensam.

§. 2. Quia igitur error, cui non resistitur, approbati videtur; & latum pandit delinquentibus finem, qui eorum perveris conatibus non resistit; Nos, volentes nostris & Ecclesiae sponsae nostrae juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis ac scandalis, quae ex retentione, assumptione seu resumptione hujusmodi orta sunt hactenus, & quae periculose possent in antea suboriri, celeriter obviare; nec non periculis animarum hujusmodi retinentium, assumptionum seu resumptionum nomina, & eis abutentium, ut praefertur, salubriter occurrere cupientes, Praesentium auctoritate monemus sub excommunicationis poena omnes & singulos cujuscumque status, praesentiae, dignitatis, aut conditionis existant, etiam si Patriarchali, vel quavis alia superiori aut Pontificali, vel Regia, seu alia quacumque praesulgeant dignitate, qui post vacationem Imperii absque nostra, vel Sedis praedictae licentia hujusmodi Vicarii seu cujusvis alterius Officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, assumpserunt, seu resumpserunt, & retinent; & qui assumunt vel resumunt fortassis imposterum, & sub talis denominationis pallio abuti sunt & abutuntur, vel etiam abutentur, potestate vel jurisdictione, quacumque, seu ejus exercitio publice vel occulte, quatenus de cetero a denominatione hujusmodi, seu nominis assumptione, resumptione; ac retentione praedictis, nec non, usu, potestate, & exercitio supra dictis profus abstineant & omnino desistant.

§. 3. Inhibentes insuper sub poena praedicta omnibus & singulis Patriarchis, & Praelatis etiam aliis superioribus & inferioribus, ac Regibus Civitatibus, Communitatibus, Uni-

Obvenit Rom. Imperator Regimen ad Sedem Apo. devolvit.

Causae hujusmodi declarantur.

Cuiuslibet sub excommunicationis sententia interdictum, ne tempore dictae Vacationis Vicarii nomen, vel officium sibi vindicet.

1313.

versitatibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectores, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & aliis omnibus, cujuscumque sint dignitatis, conditionis, aut status, ne praedictos hujusmodi nomen seu aliud quodlibet in eodem Imperio retinentes, ut praefertur, aut assumentes vel resumentes, vel eorum aliquem sub denominatione vel titulo hujusmodi nominum, seu Procuratores, Commissarios, Judices, aut vices eorum gerentes quocumque colore quaesito recipiant vel admittant; nec ut Vicariis seu Vicario aut Officialibus Imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant; nec in iis eis, vel ei quomodolibet praestent auxilium, consilium, vel favorem.

§. 4. Alioquin in omnes & singulos Patriarchas, Praelatos etiam superiores & inferiores, & ceteros denominatione praedicta, ut praemissum est, retinentes assumentes seu resumentes, ac illius praetextu exercentes quocumque officia potestates seu jurisdictiones, & in recipientes eos, ut Vicarios vel Officiales Imperii aut Commissarios eorum ut talium, & in parentes seu obedientes eis ut talibus, aut praestantes in hoc sibi auxilium, consilium, vel favorem, nisi infra duorum mensium spatium, a die data praesentium numerandum penitus respicerint, vel se licentia Sedis Apostolicae super hoc ostenderit communis, excommunicationis in singulares personas; & in Terras, & loca ipsorum, & quolibet Communitates, Universitates, Civitates, aut villas Interdicti sententias de Fratrum nostrorum consilio publice promulgamus; contra eos nihilominus spiritualiter & temporaliter gravius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, & qualitas facti fuerit, & videamus expedire.

§. 5. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui hujusmodi Vicariatus nomen retinentibus, assumptionibus, seu resumementibus juramento fidelitatis tenentur astricti, a juramento hujusmodi, quantum ad hoc, de potestate plenitudine absolventes, auctoritate Apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut Vicariis vel Officialibus Imperii aliquatenus pareant vel intendant.

§. 6. Et insuper omnes pactiones, obligationes, confederationes, & colligationes, a quibuscumque super hoc quolibet initas juramento, vel quacumque firmitate vallatas, omnino dissolvimus juribus, vacuumus, irritamus, & quatenus de facto processerint, revocamus; ac hujusmodi, ac quolibet alia juramenta a quibuslibet super iis praestita, per quae posset in praedictis, nostris & Ecclesiae praedictae juribus derogari, praesertim cum juramento vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus.

§. 7. Ceterum, ut hujusmodi noster Processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas, processum continentem eundem, in Ecclesia Avenionensi appendi vel affigi Ostiis seu superliminariis faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeroneo & patulo inditio publicabunt, Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Cuiusmodi personae interdictum sibi vindicantibus obtemperato.

Poenae contra inobedientes.

Abolvuntur a sacramento talibus obstri.

Ex resinduntur pactiones omnes super hoc initas.

Publicatio hujusmodi Processus.

ita quod omnes & singuli, quos processus ipse contingit, & contingere potest, nullam posse excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverit eundem; cum non sit verisimile, remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Datum Avenioni in Domo Episcopali, secundo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno Primo.

Dat. die 30. Martii 1317. Pont. An. I.

I I.

Canonizatio S. Ludovici, Caroli Regis Siciliae filii, & Episcopi Tolosani, ejusque adscriptio in numerum Sanctorum Confessorum, cum festivitatis institutione, pro die 19. Augusti quotannis celebrandae.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis & aliis Ecclesiarum Rectoribus, per universum Orbem constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

SOL oriens Mundo in altissimis Dei Deo Dei Filii, ex paterno utero ante luciferum genitus Deus, Verbum, qui rerum in principio fundans terram in sapientia, Coelos prudentia stabilivit, adornando coelos syderibus, germinantibus cunctis terram, quique in fine temporum, pro humani generis salute, nostram assumendo naturam, textit nube nostrae carnis fragilis semetipsum, nunc hora stante novissima, illuminando per cuncta respiciens, opus produxit mirabile, caritate gloriae suae plenum, bonitatem suam, monstrans magnifice, Sponsamque suam sanctam Matrem Ecclesiam reddens novitate tam clare sobolis letabundam. Nam qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum Confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum, caritate fervida rubicundum, electum ex millibus, produxit noviter ut exemplar praefulgidum cunctis fidelibus imitandum, ejus vitae singularis excellentiam, signis probans, & prodigiis coruscantibus crebris miraculis manifestans.

§. 1. Igitur latentur Coeli, & exultet Terra, jucundetur pariter totus Orbis: Nam qui effulsit in templo, dum viveret, in medio nebulae suae carnis, ut matutina stella, ac Luna plena, solari lumine, veluti ut sol, resurgens in sua formosus stola, in virtute multa, repentine ad summa graditur, regalibus dignis aspectibus, ut candens liliam, ac odoris suavissimi rosa rubens. Huic coeli praestant hospitium, Coeli cives, ut sibi conformem, & comparem ad suum hunc consortium admittunt in supernis; Christus hunc rescivit idem ipse prandium, & conviva.

§. 2. Hic foelix Sanctus ex regali prosapia, patre videlicet clare memoria Carolo Rege Siciliae.

Proemium.

B. Ludovici graus. Sici.

rum profecto  
& Eccle-  
się Tolofana  
præficiuntur.

Sicilia, matre vero carissima in Christo filia nostra Maria Sicilia Regina, ex Hungaria originem suam trahens, altum sui generis recusavit sapere, humilia semper diligens, & amplectens. Sciebat namque quod excelsus Dominus, alta de longinquo prospiciens, humilia, & vicina contempletur. Quamquam autem singula præclara lucida vite, verbis paucis enarrari non possent, aliqua tamen de quæ plurimis ad utilitatem legentium referemus, ut ex his Deum Patrem glorificent, & in his reperiant vivendi regulam, quam sequantur.

§. 3. Sanctus iste, sicut probatum est testimonio fide dignis, in etate existens tenera, sub magistri religiosa diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen ibi maturis intendendo moribus, sub tenello peccatore gestare se senilem animum ostendebat. Ductus in Cataloniam, cum duobus e suis fratribus datus obsecro pro liberatione antedicti Regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septennium, quo etiam ibi obsecro fuit, sub instructione Fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scientiis, & sacra pagina sic proficit, quod vir pollens ingenio, de prædictis scientiis non solum publice, ac private subtiliter disputare valeret, sed & solemniter Clero, & populo proponere verbum Dei: ut putaretur scientia hac infusa sibi magis divinitus, quam humanitus acquisita.

§. 4. In orationibus sedulus, & devotus, mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens, quod oratio humiliantis se, nubes penetans, pro exauditionis suffragio Deum adit.

§. 5. In tempore namque dicto, sacramentali confessione præmissa, Missas audiebat devote, in magnis vero festivitibus cum præparatione multa, corpus sumebat dominicum. Factus autem Sacerdos diebus singulis celebrabat: Audientię verbi Dei insistebat attente.

§. 6. Pro pastu vero animæ, in scripturis devotus studens, habebat ad hoc pro solatio sanctos libros.

§. 7. Castitatis autem amor, a puero affecterat ejus mentem adeo quod, ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino, in tantum quod nisi forsitan cum matre, & fororibus, solus cum sola nullo unquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem noverat esse morte. Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia graviter arguebat; attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominus duo, & interdum quatuor in sua jacebant camera, in suæ testimonio nitidæ puritatis.

§. 8. Cum Apostolo Paulo sobrietate cibi, & potus, corpus suum castigabat assidue, seq. frequenter manu sua, quandoque autem aliquid fratris confocii, cum catenis ferreis disciplinas, vestiendo pro camissa rude stamen & deferendo ad nudum pro cingulo cordam grossam, ipsam carnem in servitutem redigebat. Summo etiam studio, terrena cuncta calcare studuit, ex desiderio æternorum.

§. 9. Considerans etiam Sanctus iste, quod Mundus totus sit positus in maligno, quodq.

cum concupiscentia sua transiit, ipsum fugiendo deseruit totaliter, & contempnit. Nam rediens de Catalonia cum Rege prædicto, votum quod de intrando Ordinem Fratrum Minorum in obsequio fecerat, in Conventu eorumdem Fratrum de Monte Pessulano, voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipsum fratres recipere non audebant, votum ipsum solemniter iteravit. Et quia voventibus præceptum noverat de reddendo, suadenti foel. rec. Papæ Bonifacio Prædecessori nostro, quod assensum præberet provisioni de se factę, Ecclesię Tolofana, nullatenus consensit, quoadusque votum dictum, quod fecerat, complevisset. Cujus devotioni annuente Prædecessore nostro prædicto, habitum Ordinis prædicti suscipiens, in præsentia boni mem. Joannis Episcopi Portuensis, tunc ejusdem Ordinis generalis Ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit; sicque provisioni prædictę suum præbendo assensum, mandatis Apostolicis obedivit. Et quamquam de jussu Prædecessoris ejusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum B. Agathę tunc vicinum, in dicto tamen festo in præsentia duorum Cardinalium recepit publice: ac ex tunc portavit continue, atque ipso die ad S. Petrum patenter detulit prædicando.

§. 10. Miranda res, & alias infueta, Vir namque virtutum positus in sublimi, juri Primogeniturę renunciavit, & Regno, regalis solii sprete pompa, pro regno corruptibili, æternum, ac plenum deliciis regnum mercans.

§. 11. Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas, quam publicas elemosinas faciebat jam factus Episcopus Tolofanus, per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri, de suorum quantitate redditum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis faciendis, & rationibus, volens quod totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur, quamquam prælatus tam magnus esset, & filius tanti Regis.

§. 12. Cum autem iret Parisios, pauperem quemdam nudum reperit, cui multum compatiens, abscondite cappam contulit, quam portabat, sibi que fecit aliam secreta asportari.

§. 13. In hoc etiam Christi imitatione nihilominus humilitas vera fulsit. Attendit namque quod Deus, qui moerentes sospitate erigit, ponit humiles in domo sua respiciebat quotidie, aquam in manibus fundebat; manumque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat, eidem etiam genuflexo in ipsi Christo servire, & ipsum recipere se delectans.

§. 14. Hospitalia pauperum aliquoties visitabat.

§. 15. Sciens denique, quod qui vestiuntur mollibus, in hoc a Domino non laudantur, post Diaconatus sumptum ordinem, semper veste humili usus fuit. Post ingressum vero prædicti Ordinis, vili habitu, ac bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti coopertoriis utebatur.

§. 16. Por-

Ejusdem Præ-  
worda, &  
ludica litera-  
rum.

Fervens in  
Oratione.

Devotus in  
Sumptione  
Sacramentorum.

Attentus in  
lectione SS.  
scripturarum.

Studiosus Casti-  
tatis.

Severus in  
seipsum.

Ordinem Fra-  
trum Mino-

Regnum re-  
cusat.

Benignus in  
pauperes.

Humili veste  
comatus.

Attentor in  
Episcopatu.

Zelo Religio-  
nis fervidus.

Pie moritur.

Miraculis per  
eum Deus  
operatur.

§. 16. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia servus hic Christi fidelis & prudens, Missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando: clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de virtutibus, & vitis, & artibus fidei, vita, & moribus diligenter.

§. 17. Judæos, & gentiles zelo fervens Dei inducebat sedulo ad baptismum, ac quosdam eorumdem sacro de fonte levavit.

§. 18. Demum gloriosus iste Sanctus, cursu vite consummato, foeliciter ad Deum fontem vivum, quem avidè sitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotissime sumpsit Corpus Dominicum quamvis debilis de lecto exiliens in occursum Domini Salvatoris. Cruce autem sibi data per quemdam ex sociis, deosculabatur illam, genuflexus in lecto, ut potuit, ac in oratione devota, & silentio postmodum diu mansit. In Cruce namque Domini nostri Jesu Christi, & non in alio, didicerat gloriari. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocencia, in medio domus suæ ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie revelata, in sua innocencia est ingressus. Verum, quia decebat multum divini magnitudinem bonitatis, quod illum, quem in terris ipsum præclaris adornando virtutibus, sui imagini fecerat tam conformem, secum ostenderet regnare in celis virtutis suæ testimonis; quadam per eum miracula operari dignatus est, quæ ad Sancti hujus declarandam gloriam, præsentibus duriximus adnotanda.

§. 19. Quædam namque duorum annorum puella, quæ vi febris quam passa fuit duobus mensibus, expiravit; facta voto per patrem sancto isti, quod ipsi imaginem de cera offerret, si vitam a Deo filix suæ impetraret, resuscitata, ubera matris suxit.

§. 20. Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continue vita functus, facta voto per patrem, est vite pristina restitutus, nec dicta febris in eo apparuit ul- lum signum.

§. 21. Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres febrem passa continuam expiravit, facta ad dictum Sanctum voto per suos, spiritum recuperavit, & revixit.

§. 22. Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua ex casu dicta matris de asino, & in ejus ventre ex mora diutina putrefacta, coepit puerperio laborare. Cumque dictus partus jam putridus per frustra fuisset extractus, & alia filia mortua jam educta esset obstetricum ministerio violenter, & projecta in stabulo super simum, emissio ad ipsum Sanctum voto, quod si partus ille resurgeret, unam sibi ceræ imaginem præsentaret, puella palpitare coepit, & baptizata septem mensibus supervixit.

§. 23. Quidam etiam puer ætatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis jacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permanisset, facto Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit divinitus suscitatus.

§. 24. Mulieri viduæ, quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauderat, emissio per suos ad Sanctum istum voto, ejus meritis reddita fuit vite.

§. 25. Quædam puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachiis per octo menses passa fuerat surditatem, facta voto ad prædictum Sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum extitit liberata.

§. 26. Quidam cum post febrem continuam perdidisset loquelam, & sic mutus per mensum integrum permanisset, adductus ad sepulchrum Sancti hujus, fuit ibidem loquelæ finita Missa restitutus.

§. 27. Mulier quædam, quæ subito muta, & impotens de uno brachio facta fuit, ac infirmitate sibi per mensum durante, emissio voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. Quædam etiam mulier, dum ex partu quodam violento, de puero mortuo, & in ejus utero transversato, contracta in manibus, & pedibus & femoribus, biennio permanisset, facta voto ad Sanctum præfatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita Ecclesiam in qua jacet, dormire caput, & expergefata, a morbo prædicto penitus est curata. Vir quidam passus annis sextam in manu, & brachio, ventre, ac humero, facta voto quod ejus limina visitaret, statim fuit sanitatis beneficium consequutus. Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum afflixit graviter diebus septem, facta voto ad memoratum Sanctum, diligentius ejus tumulum visitando, recepit continuo sanitatem. Quædam mulier, quæ per octo annos, morbo epileptico quasi quotidie gravabatur, emissio voto, quod sepulchrum ejus, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sicque ex tunc de morbo ipso penitus nihil sensit. Monialis quædam, quæ post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrebat in omnibus membris ejus, in tantum quod in duodecim diebus, nisi alieno adiutorio, de lecto non poterat se movere, portato sibi pedali panno, qui quondam Sancti hujus dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana & incolumis est effecta. Cum homo quidam, qui miraculis istius Sancti detrahere nitēbatur, reversionem faciei, & oculorum turpiter incurrisset, sicque manens per dies sex, huic Sancto cum devotione qua poterat, se devovisset, ad sepulchrum ejus veniens, & offerens caput cereum, antequam exiret Ecclesiam, perfecte reperit se curatum.

§. 28. Hæc sunt mirabilia opera solius Altissimi, quibus, & aliis quampluribus miraculis voluit Sanctum istum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cujus dextera huic Episcopo confert stellerum regni diadema. Applaudant & isti pariter celi cives, quorum coetibus Sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altissime, Francia, Sicilia, ac Hungarię regna felicia, de quorum hortu candoris nivis flos erupit, quorum vitis germi-

Gaudendum  
itaque in Ec-  
clesia.

I I I.

Indictio Induciarum inter Angliæ, & Scotiæ Reges, sub eadem pena Excommunicationis contra violantes.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Ex Regest. Vaticano.

Vocatis Nobis, licet insufficientibus meritis, ad Apostolatus officium occurrit quasi confessum considerationis nostræ conspectui acerbis insectis periculosa dissentio, quam inter Charissimum in Christo filium nostrum Eduvardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum Filium nobilem virum Robertum de Brus, gerentem se pro Rege Scotiæ, jam dudum incensor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias, quas frequenter, dum Nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus, representans. Hinc etenim se offerebant & offerunt nostris obtutibus, impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipue Terræ Sanctæ desertæ incolis Christianis, ipsorumque desinitæ suffragiis, cui, Catholicis Principibus distractis ad bella civilia, consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis: hinc se ingerant & ingerunt animarum pericula, Christiani Sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum disidentium suarumque gentium, sed & quamplurium aliorum in ipsorum commotione periculosa turbatio, pariter & damnosâ: hæc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant officium, ut ad occurrendum per oportuna remedia tanto Religionis Christianæ discrimini ocuis exurgamus.

Mala que ex hujusmodi dissentione orta sunt, depletur.

§. 1. Attendentes igitur, quod ad Nos, qui, licet immeriti, vices Regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis Apostolorum Principi suisque Successoribus ex alto concessâ, singulariter pertinet in universali Ecclesia cunctave congregatione Fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius observari, inter præfatos Regem Angliæ, ac gerentem se pro Rege Scotiæ, auctoritate apostolica treugas, quarum factus imaginem pacis inducit, indicimus usque ad biennium duraturas; ac in eos, & omnes, & singulos eorum adjuutores, valitores, consiliarios, sequaces, complices, & etiam adherentes, treugas infringentes easdem, aut quomodolibet non servantes, excommunicationis sententiam promulgamus.

Treugas indicit.

§. 2. Non obstantibus, si Regi, & Gerenti prædictis, aut ipsis adherentibus, seu cuivis eorum a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint, per literas Sedis ejusdem non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impedi-

Obstantium derogatio.

Sanctorum Confessorum Catalogo adscribitur.

Ejusque annua festivitas indicitur.

Indulgentia ejus Sepulchrum vilitantibus proponitur.

Dat. die 6. Aprilis 1317. Pontif. An. I.

minat dulcem vnam, cujus liquor cœlos lactificans, abunde funditur in calice summi Regis. Letetur insuper civitas Tolosana tanto ditata Præsule, quem apud Deum advocatum habet sedulum, & patronum. Vere felix es, o tu Marilia, facta divinorum aromatum. tam Sancti corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorum Ordo conspicuus, novæ laudis canticum promere non desinat in aula cœlesti, tam præclarum alumnium divinis festive conspectibus representans.

§. 29. Ceterum, quia convenit, ut quem Dominus in Cœlo magnificat, Mundus colat, nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, & studiosam examinationem, & discussionem solemnem, supplicatione devota, & humili Prælatorum omnium, apud Sedem Apostolicam existentium cum instantia requisiti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, de Omnipotentis Dei virtute confisi, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, ipsum septima die Aprilis Sanctorum Confessorum Cathalogo duximus adscribendum.

§. 30. Ideoque universitatem vestram monemus & exhortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kalendarum Septembrium festum ejusdem Episcopi & Confessoris, devote celebretis solemner, & faciatis a vestris subditis devotione congrua celebrari, ut pia ejus intercessione hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Datum Avinione 7. Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno primo.

diri possit, vel quomodolibet retardari.

§. 3. Treugas autem & Sententiam antedictas a die notificationis seu publicationis ipsarum suum effectum volumus obtinere.

§. 4. Vassallos insuper & subditos Regis, & Gerentis prædictorum, a juramento fidelitatis, quo eis vel eorum alteri tenentur astricti, quantum ad hujus guerræ seu dissensionis articulum, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus absolvimus, & nihilominus promissiones & obligationes, quæ inter Regem & Gerentem prædictos, & quoscumque alios, super belli seu conflictus utrinque committendi processum, necnon confederationes, colligationes, & pactiones, quæ inter ipsum & quovis alios ex una parte, ac prædictum Gerentem & alios quoscumque ex altera intervenerint pro ipsa fovenda discordia, utpote contra bonum pacis præsumptas illicite, & attentatas in divina majestatis offensam; & quascumque penas adjectas, ac juramenta præstita super iis sub quibuscumque forma modo, vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, ex nunc nulla fore decernimus; & quatenus de facto processerint, irritamus.

Induciarum tempus.

Irritatio Juramentorum, factorum &c. pro bello factorum.

Dat. die 1. Maii 1317. P. An. I.

Ex eodem Regest.

Proemium.

Causæ hujusmodi faciende extinctionis.

Gregem insciant, a suis, ut expediebat, separatim discernere, aut alias partes boni Pastoris implere: quodque reddituum Episcopatus Albiens. opulentia copiosa pluribus poterat abunde sufficere; nec non quod Episcopus Albiens. duas partes denunciationum Ecclesiarum sibi subditarum communiter percipere consuevit, & naturaliter obligantur persone Ecclesiastica, ut Altari serviant, quæ de Altari vivunt; & unicuique Altari, de quo vivunt, tanto propensorem & specialem curam & diligentiam singularem adhibere debeant, quanto amplius de eo suscipiunt, & per ipsum abundantius sustentantur; nec non quotidiana sollicitari instantia, & diffusius seminare spiritualia iis, a quibus assidue cardinalia metere dignoscuntur; Nos cultum augere divinum, & spirituales animarum profectum, quem, si juxta facultatum exigentiam duorum in eadem utilium Præfatum custodia deputetur, indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, præmissis & aliis suadentibus justis causis, præhabito super hoc diligenti tractatu, ex certa nostra scientia, de Fratrum nostrorum concordii consilio, & Apostolica plenitudine potestatis, ad laudem Dei, & ad exaltationem Ecclesiæ, Fideliumque salutem, Episcopatum Albiens. suamque Diocesim auctoritate Apostolica dividimus in duas Diocesces, quas per certos distingui limites faciemus.

Divisio Albiens. Episcopatus.

§. 2. Volentes ac decernentes auctoritate prædicta, de Fratrum ipsorum consilio, & prædicta plenitudine potestatis, quod præter Civitatem Albiens., quæ suam propriam & distinctam habeat Diocesim certis finibus limitandam, Villam de Castris dictæ olim Diocesces, quam veluti ad hoc convenientem & accommodam eadem auctoritate in Civitatem erigimus, & Civitatis titulo insignimus, separatam Diocesim habeat, certis limitibus a Diocesce remansura Albiens. distinguendam: quodque Ecclesia Monasterii Sancti Benedicti Civitatis ejusdem Ordinis Sancti Benedicti sit de cetero, & habeatur perpetuo Ecclesia Cathedralis ipsius, & Civitate prædicta cum suis Capitulo, Clero, & Populo, ac Diocesce, ab omni jurisdictione, potestate, ac superioritate Albiens. Episcopi & Capituli ac ejusdem Albiens. Ecclesiæ, nec non Abbatis Conventus & Monasterii Massilien., remanentibus omnino liberis & exemptis. Nos enim licet idem quondam Monasterium cum membris suis a prædicto dependere hætenus Monasterio nosceretur, ipsumque Monasterium vel Abbas ejusdem jura quedam, & superioritatem in prædicta Beati Benedicti Ecclesia obtineret, de consilio auctoritate & potestate prædictis Ecclesiam & Civitatem easdem ad censum aliquem, ullamve præstationem, vel subiectionem quamcumque memoratis Abbati Conventui & Monasterio volumus & decernimus in anima non teneri; quinimo ipsam ab omnibus prædictis absolvimus & totaliter liberamus: Jura omnia, quæ in Ecclesia prædicta præfatum Monasterium aut Abbas illius olim quomodocumque habebat, in dictam Castrum Ecclesiam transferentes, & illa penes eam

Erectio Episcopatus Castrum.

Monasterium S. Benedicti, quod in Cathedrali Ecclesia erigitur a Massilien. Monasterii subiectione extimitur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictmentis, promulgationis, abolitionis, & irritationis infringere &c. Datum Avinioni Kalendis Maii, Pontificatus nostri anno I.

IV.

Erectio Episcopatus Castrum. ejusque dismembratio ab Ecclesia Albiens.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Salvator noster, cujus nutui cuncta subserviunt, in agro Mundi hujus mensam multam aspiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum messis rogandum esse, ut in illam operarios mitteret, censuit; & ipse idem exiens mane, veluti Patrifamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam suam misit. Romanus itaque Pontifex, qui sicut, eodem Domino disponente, Vicarius ejus in Terris esse dignoscitur, sic & ipse actibus, in quantum sinit humana fragilitas, se conformare tenetur, ubi superexcrescere messem, Populi videlicet multitudinem, viderit, operarios debet oportuno adjicere; & juxta propheticum verbum, augere custodiam, levare custodes, ac cultores idoneos in dominicam vineam destinare.

§. 1. Sane considerantes attentius, & intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod tanta multitudine Populi, quantæ fecundavit Altissimus Civitatem & Diocesim Albiens., quibus certis ex causis est magis exacta & diligens custodia adhibenda, singulorum vultus nequibat, ut concederet, unicuique Pastor inspicere oves; nec morbidas, quæ